



# Disputatio juridica inauguralis de heredibus instituendis

<https://hdl.handle.net/1874/345196>

42.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
HEREDIBUS INSTITUENDIS,

QUAM

FAVENTE TRI-UNO NUMINE,

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,  
NEC NON*Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimeque**Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,*Eruditorum examini subjicit*

JOANNIS MARCUS LE MAIRE, Amstelod. Bat.

*Ad diem 19. Januarii horâ locoque solitis.*

TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clc lcc xcii.

*Nobilissimis, Amplissimis, Doctissimisque  
VIRIS,*

D. ISAACO LE MAIRE,  
Ecclesiæ Amstelodamensis Pastori Fi-  
delissimo, Parenti, omni filiali obser-  
vantia colendo.

D. D. JACOBO LE MAIRE,  
Juris utriusque Licentiato, nuper ad  
Serenissimum Regem Daniæ, Norve-  
giæ &c. Delegato.

D. D. JACOBO DE VOGELAAR,  
nuper Urbis Amstelodamensis à secre-  
tis, illi patruo, huic Avunculo, omni  
honore & studio observandis.

NEC NON

D. JOANNI VAN DEN BROECK,  
J. U. D. gymnasii Amstelodamensis  
Professori celeberrimo, de studiis meis  
optime merito.

*Hasce Theses Inaugurales qua  
par est reverentia*

*offert & dedicat*

*JOANNES MARCUS LE MAIRE.*  
*M. Oct. 1610. Auct. & Resp.*



## DISPUTATIO JURIDICA

### INAUGURALIS.

D E

# Heredibus instituendis.

#### THEISIS I.



D substantiam testamenti inter cætera quoque desideratur *heredis institutio*, usque adeo, ut illa sit quasi caput, & fundamentum ejus §. 34. *inst. de legat. l. i. princ. ff. h t. l. 19. de test. milit.* atque omne negotium, quod testamenti ordinandi gratia agitur, inter testatorem, & heredem agi creditur §. 10. *inst. de testam. ord.*, est autem heres successor in universum jus, quod defunctus tempore mortis habuit l. 24. *ff. d. V. S. l. 62. ff. h. t.* unde non erit necessarium, multis inquire, quid sit illa, sed paucis tantum tradere, institutionem

4 DISPUTATIO JURIDICA

tionem heredis esse successoris designationem, vel per scripturam, vel vivæ vocis nuncupationem à testatore in testamento expressam, nec referre quibus verbis ille fuerit usus, modo ex iis satis liquido constet ipsius voluntatis intentio, balbutiente quamvis lingua à testatore prolata *l. 15. C. de testam.* qualis institutio, vel primi gradus est, & retinet tale nomen, vel secundi, ulteriorisve heredis in locum prioris defcientis, & vocatur *substitutio l. 43. §. 2. de vulg. & pupill. subst.* atque interdum institutioni in specie ita dictæ opponitur, ut in *l. 1. ff. eodem*, de illa pro viribus, hic agere fert animus, materiam substitutionis sub ea non explicatur.

I I.

Institutio heredis vel liberæ electionis est, vel certis adstricta personis, illam Doctores communiter appellant *voluntariam*, quæ est extraneorum & propriæ sub titulis *ff. Cod. & inst. de heredibus instituendis* exponitur, quando testator in infinitum, id est (Theophilo interprete) in definitum numerum, quos & quot velit heredes instituit, *§. 4. inst. hoc tit.* hanc *necessariam* vocant, puta eorum heredum, qui vel necessariò instituendi, vel nominatim exheredandi sunt *l. 30. de liberis & posthumis hered. inst. l. 1. ff. de inj. & rupt. l. 4. C. de tib. præt ex.* unde & vivo quoque Testatore quodammodo domini existimantur *§. 2. inst. de hered. qualitate & differ. l. 11. ff. de liber. & postb.* & jure quodam naturæ ipsis hereditas deberi dicitur *l. 3. C. quor. bonor. l. 7. ff. de bonis damnat. l. 15. ff. de*

## INAUGURALIS.

5

*ff. de inoff. testam.* unde si & ipsi silentio prætereantur, totum testamentum adeò ipso jure erat nullum, ut nec legata, nec fideicomissa, nec libertates in eodem relictæ valerent, *l. 8. §. 16. ¶ 17. l. 21. §. 2 l. 28.*

*ff. de inoff. test.* cui tamen juri nonnullis derogatum videtur per *Auth. ex causa C. de lib. præt.* excerptam ab Irnerio ex *novella 115. cap. 3.* quam tamen ego item, hic non facio meam, quandoquidem de prima tantum, nempe voluntaria heredis institutione, sequentia proponere decreverim; scilicet de personis, quæ heredes institui possunt, item de partibus hereditariis, ex quibus illas instituere permisum, & denique quæ formæ, vel de modis ipsis instituendi.

## III.

Quantum ad personas; heredes instituere permisum est tam servos homines, quam liberos, inversa triboniani elocutione *pr. inst. b. t.* enunciata *l. 31. ¶ 49. §. 1. ff. eod.* quales etiam exstat in *l. 7. ¶ 8.* *ff. d. pact. ¶ l. 6. ff. de V. S.* & quidem servos æquè alienos, ex persona dominorum *l. 31. ff. b. t.* ac proprios; hi namque simpliciter instituti pariter hereditate ac libertate fruuntur, *prin. inst. b. tit. l penult. C. de servis necess. hered.* idque ex consequentia voluntatis, qua quos fecerint heredes, iis & libertatem destinasse præsumuntur domini; cum nemo, qui liber non sit, heres esse queat; hinc qui antecedens voluit, etiam necessarium consequens voluisse censetur *§. 2. inst. qui ¶ ex quib. caus. man.* excipe tamen servum adulterum fux dominæ, hic etenim

## 6. DISPUTATIO JURIDICA

etenim ab eadem nullo modo per testamentum honorari poterit *pr. inst. b. t.* quemadmodum nec idem ante sententiam ab adulterii rea poterat manumitti, ne quaestioni subducatur *d. pr. in f. l. 48. §. 2. ff. b. t. adde l. 12. §. 32. §. 1. ff.* qui *§ a quib. manumit § l. 32. C. ad l. ful. de adult.* qualem vero effectum hæc institutio, tam proprii, quam alieni servi habeat, constat *ex §. 1. inst. de hered. qualit. §. dissent.* scilicet ut si creditoribus non satisferet bona testatoris nomine servi, acerbæ præconis voci subjecerentur, ne defunctus ignominia afficeretur; quin etiam hereditarius servus, jacente adhuc, neque adita etiamnum hereditate, institui potest, quia & cum servis hereditariis testamenti factio est. *§. 2. inst. b. t.* cuius dubitationis fundamentum in eo erat, quod ejusmodi servus, neque ex suo, neque ex domini, quem non habet, persona, hereditatis capax sit, quem scrupulum Tribonianus ibidem removet, docendo quod jacens, vel nondum adita hereditas, defuncti, non heredis futuri personam sustineat, *d. §. 2. adde l. 31. §. 1. ff. b. t. l. 34. §. 6. ff. d. acq. rer. dom.*

### I V.

Inveniuntur etiam aliqui homines liberi qui heredes institui nequeunt, quos inter improbi ac instabiles *l. 18. §. 2. ff. qui Testam. facer* peregrini, qui Jure civitatis non gaudent *l. 6. ff. §. 2. b. t. l. 1. pr. ff. ad l. falcid.* verum hi jure novo capaces habentur, cum Fredericus in *Auth. omnes peregrini*

*C. comm.*

## INAUGURALIS.

7

C. comm. de succes. peregrinis testamenti factionem restituerit; itemque indigni, qui ob aliquod delictum ab hereditate removentur, & quorum portio à fisco vindicatur tot. tit. ff. de his quæ us indignis, l. 1. § 2. §. 1. ff. de jure fisci, universitatibus, & collegiis licitis (quamvis olim institui non poterant,) legata & hereditates relinqu posse docet l. 12. C. de hered. inst. l. 1. C. de ff. ecclesiis quamvis & ante constitutionem illam etiam jure pandectarum videatur inductum, ut & iisdem legata & fideicomissa præstari potuerint l. 6. §. 4. l. 26. ff. ad sc. trib. l. 2. ff. de reb. dubiis l. 77. §. ult. l. 122. ff. pr. ff. de leg. 1. unde & populo Romano non tantum viritim, sed & publicè à Julio cæsare in suo testamento hortos relictos legimus apud Suet. in Julio cæs. cap. 84. propè finem: quid vero de incertis personis statuendum sit, docet Justinianus §. 26. § 27. in verbis non solum pr. hereditatib. inst. de legatis.

## V.

Hactenus de personis quæ institui possunt, sequitur, ut de partibus hereditariis dispiciamus; quia quidem in re apud JCtos invaluit, ut inter terminos Juris appellatio *assis* reciperetur, ad significandam universam hereditatem, quod vocabulum usitatum (teste Triboniano) in §. hereditas §. inst. eod. plurimique in duodecim partes dividitur, quartum singulæ ab uncia, usque ad assem sua fortuntur nomina, quæ quidem enumeratio partium licet maximè recepta,

## DISPUTATIO JURIDICA

recepta , non tamen adeo erat perpetua , ut nunquam aliter institui queat , sed totidem unciæ hereditatem constituunt , quot voluerit testator , unde si tribus heredibus institutis , singulis quadrantem hereditatis adscripserit , hic dodrans , seu novem unciæ , assem conficient , & contra , si quatuor instituat , & è triente singulos , sedecim unciæ in hereditate intelligentur § . 7. *inst. b. t.* eò fine , ut vel novem vel sedecim unciæ tantundem efficiant , quantum alias duodecim , confidentes assem ; & prioribus continget jus accrescendi , posterioribus jus decrescendi ; imo si unus è semisse instituatur , totus as in semisse erit , d. § . 5. *inst. eod.* cum nemo pro parte testatus , & pro parte intestatus decidere possit , nisi miles l. 7. ff. de R. J. quæ de partibus assis dicta sunt , etiam de rebus certis accipienda , ut si testator ex re certa unum , vel plures nominaverit heredes , nihilque de reliqua hereditate addiderit , tum heredes scripti ex asse heredes intelliguntur l. 1. § . 4. ff. de hered. *inst.* quod si vero unus , vel plures ex re certa scripti sunt , alias vero ex parte assis , vel indefinitè , priores loco legatariorum habentur , & certis hisce rebus præceptis , reliquam hereditatem simpliciter scripto heredi relinquent l. 13. C. *cod.* miles vero , aliter ac paganus , pro parte testatus pro parte intestatus decidere potest d. § . 5. *inst.* & d. l. 7. ff. de R. J. ideoque si unum è re certa , fundo nempe , vel domo heredem nominaverit , quantum ad residuum ejus patrimonium ; intestatus creditur mortuus , l. 6. ff. de testam. milit.

Quod si

## V I.

Quodsi plures instituuntur heredes & quidem simpliciter, idest nullis partibus expressis, constat sati eos ex æquis partibus heredes esse §. 6. *inst. eod.* id est viriles habere partes, sin vero heredum partes velit inæquales, id testator exprimere debet *d. §. 6. inst.*

## V I I.

Restat denique ut videamus de forma, vel modis instituendi, de quo §. 9. *inst. b. t.* agitur, & doceatur heredis institutionem fieri posse vel pure, vel sub conditione, sed in diem, vel ex die ut nominetur heres, juris civilis ratio non patitur, quo qui semel factus est heres, amplius heres esse desinere non potest; quandoquidem heredis qualitas indelebilis est, & temporarium characterem non recipit, *I. 88. ff. b. t. I. 7.* §. 10. *ff. de minoribus*, proindè, qui semel factus est heres, non potest non statim incipere, nec unquam desinere defunctum repræsentare, nec magis quam ipse defunctus potuerit a certo tempore, vel ad certum tempus non esse quod fuerit, cum tempus non soleat mutare rerum naturam, neque tantum in ultimis voluntatibus, nec in aëtibus inter vivos exercere vim, ut per se idest ipso jure aliquid producat, finiat, vel suspendat, quapropter & nemo ex tempore, vel ad tempus ipso jure obligari poterit, cum tempus nusquam in jure nostro annumeretur modis

B

con-

10 DISPUTATIO JURIDICA

constituendæ , vel finiendæ obligationis §. 2. & 3.  
*inst. de V.O.* ita & juri Romano adversabatur aliquem  
esse heredem nominatum , neque tamen pro herede  
haberi , quemadmodum contingeret heredi ex die in-  
stituto ; sic e contra quoque idem jus non patitur ali-  
quem esse , & haberi heredem , ac postea heredem es-  
se definere , ita namque defunctum facheret testatum  
& intestatum contra *d. l. 7. ff. de R. J.*

V I I I.

Si tamen inveniatur à testatore certum tempus in-  
stitutioni additum , illius adjectio vitiosa , & pro non  
adjecta habetur , §. 9. *inst. & l. 34. ff. b. tit.* quod  
tamen accipe , ut tanquam superflua , & non expref-  
sa censeatur ; non vero , ut universæ institutioni no-  
cere dicatur , itemque de certo tantum die illud in-  
tellige , incertum namque diem heredis institutionem  
admittere certum est , veluti cum capere poteris heres  
esto , *l. 62. ff. b. t.* vel cum eris annorum 14. heres  
esto *l. 33. ff. de vulg. subst.* siquidem incertus dies  
merito locum conditionis obtinet , *l. 75 ff. de cond.*  
& demonst. adeo , ut nihil differat heredem *insti-*  
*tuam te , si navis ex Asia uenerit , vel quo die ve-*  
*nnerit , sub qua conditione heredem institui posse con-*  
*stat ex d. §. 9. inst. eod.*

I X.

Qua de re antequam plenus agatur , prius illam  
definio , quod *conditio sit adjectio casus in futurum*

*col.*

*collati, in cuius eventum aliquid suspenditur: vul-*  
*go quidem in præsens vel in præteritum concipi dici-*  
*tur, sed magis figura verborum, quam vi ac potesta-*  
*te conditionis, utpote quæ vix naturam ejus habeat,*  
*nisi futurum tempus respiciat. l. 39. ff. de reb. cred.*  
*facit imperator in l. unica §. 7. C. de cad. toll. tres*  
*conditionum species, nempe quod alia sit casualis,*  
*alia potestativa, alia mixta, terminis, ut quibusdam*  
*videtur, parum latinis, quos tamen doctrinæ causa*  
*retinebimus; dummodo addamus casualem quandoque*  
*fortuitam appellari, quasi quæ ex solo eventu fortui-*  
*to, idest, à casu, vel fortuna dependeat, potestati-*  
*vam quoque arbitrariam vocari, quæ in merum arbi-*  
*trium confertur l. 13. ff. de acq. vel omitt. hered.*  
*mixtam, quæ partim in arbitrio, partim in potestate*  
*nón est, verum etiam ab alterius potestate vel casu pen-*  
*det, qualis est illa si Corneliam uxorem duxeris.*

## X.

Extraneum heredem sub omni, & qualibet honesta  
 ac possibili conditione, quæ non prorsus facultate ca-  
 ret, institui posse, tum passim aliunde, tum ex §. 9.  
*inst. b. t. item ex d. l. unica de caduc. tol. certum est;*  
 nec movet in contrarium, quod supra *thes. 7. dixi-*  
*mus heredem ex die certo institui non posse, per l. 24.*  
*ff. de hered. inst. §. 9. inst. b. t. cum hic cesset*  
 prohibitionis illius ratio ex *l. 7. ff. de R. f. desumpta,*  
 nec metuendum sit, testatorem hoc casu partim testatum  
 partim intestatum moritum, quandoquidem, ex-  
 istente postea conditione, quamvis longo à morte te-

## DISPUTATIO JURIDICA

statoris intervallo , attamen retrotrahitur ad id tempus , ac proinde habetur ; acsi adjecta non fuisset , quod si deficiat illa , neque existat postea . præsumitur testator ab initio statim intestatus decessisse l. 8. pr. ff. de peric. & comm. rei vend. suus tamen heres , qui in patria testatoris potestate est , proximumque in familia gradum obtinet , hoc modo & sub quacunque conditione institui nequit , sed tantum sub ea , quæ sit in ipsius potestate , non vero casuali , vel mixta l. 4. ff. de hered. inst. l. ult. ff. de cond. & demonst. l. 4. C. de inst. & fust. cuius prohibitionis hæc videtur ratio , ne conditione , sub qua institutus erat filius deficiente , neque institutus , neque exheredatus videatur , atque ita parenti per indirectum liceret , quod directo ipsi non concedatur , puta filium sine causa , & quidem tacite ab hereditate sua excludere ; quam obrem turpis vel impossibilis conditio , huic institutioni adjecta infirmat institutionem l. 15. ff. de cond. inst. & pro non scripta habetur , adeo ut filius , ea non obstante , perinde ad hereditatem sui patris admittatur , acsi impossibilis conditio ei adscripta non fuisset l. 10. ff. b. t.

X I.

Plures conditiones exesse heredi conjunctum impositæ votum ipsius minimè implent , nisi omnibus paruerit , disjunctum vero si scriptæ sunt , sufficit cuilibet pareat , § penult. inst. b. t. qualis conjunctio censetur , quando copulativè est concepta , disjunctum vero factam intelligamus ubi per particulam aut , si-  
mu-

mulemve cumulantur conditiones , quæ si diversis testamenti partibus collocentur plures , ea quæ prius impletur institutionem præstat l. 17. ff. de cond. inst. diversum in legatis , in quibus novissima , seu postrema conditio operatur l. 87. & seqq. ff. de cond. & demonst. cuius discriminis hæc videtur ratio , quod in institutione primam quam citissimè fieri voluisse præsumitur testator , ne intestatus decederet , quæ præsumptio in legatis cessat , ideoque in his testator ultimam conditionem adjiciendo , reliquis censetur derogasse , & in novissima acquiescere , usque adeo , ut legatum in prima testamenti parte simpliciter , & purè , dein sub conditione eidem legatario relictum censeatur conditionale l. 89. ff. eod. quod diversum obtinet in herede qui primo purè , postea sub conditione scriptus , attamen pure institutus habetur l. 37. §. 1. ff. b. t. nisi ex altera hereditatis parte purè , ex altera conditionaliter sit vocatus , tum enim ut hac fruatur , conditioni parere debet l. 50. §. 5. ff. eodt.

## X I I.

Tandem &c illud observandum , quod mortuo ante conditionis existentiam , sub illa herede instituto , jus suum ad heredes non transmittat , quia id quod celsum non erat , hoc est ipsi nondum debebatur , heredi relinquere non potuit ; quod idem in legatis sub conditione relictis , nam & horum dies non cedit , nec prius debere incipiebat , quam conditio fuerit impleta , ut est notissimi juris ; per tot. tit. ff. quando dies legat. cedat. contrarium tamen obtinet in stipulatio-

ne conditionali, nam ex ea spes est debitumiri, eamque ipsam spem transmittimus in heredem, si priusquam conditio existiterit mors nobis contigerit, §. 4. *inst. de verb. obl.* siquidem ultimæ voluntates tantum voluntate unius ordinantur, qui testator non eadem, qua in legatarium, statum in heredem ejus voluntate & benevolentia movetur, nam plerunque ob meritum aliquod indulgentur, l. 9. 10. & seqq ff. *pro socio contractus* autem ex reciproca contrahentium conventione fiunt, l. 3. §. 1. ff. *de pact.* qua non tantum nobis, verum etiam heredibus nostris cayeamus. l. 8. ff. *de probat.*



C O.



## COROLLARIA.

I. M. I. T.

*Ususfructus pars dominii non est.*

I I.

*Exheredato filio pater recte tutorem dat.*

I I I.

*Testamenta unico contextu ordinanda.*

I V.

*Mulier SCto Vellejano renunciat.*


V. F.

V.

*Filius familias Macedoniano non deroga.*

COROLLAIA

F I N I S.



42 . V